

abstinuisse, quam occasionem tandiu exoptatam nancisci, quo simul æterni grati animi testimonium offerre potuissem. Forte quæ nunc mitto minus tua attentione digna sunt, attamen non dubito, quin pro humanitate tua serena fronte excepturus et in grati ac memoris animi signum interpretaturus sis, quicquid pro tenuitate mea offerre valeo¹⁾

Qui has litteras offert, est filius Consilarii a statu von Bergen, Upsaliam ad te abiens, ut ex saluberrimis et eruditissimis præceptis tuis, et ex favore ac benevolentia tua eos reportaret fructus, quos immensos esse, diligentes tui olim discipuli non sine gratissima recordatione percipiunt.

Quod superest, benevolentia tua, vir immortalis, qua me præsentem persequi non dedignatus eras, absentem tibi que obstrictissimum complecti pergas. Vale.

Hafniæ d. 28. Aprilis
1776.

Christian Horrebow

f. 1718. d. 1776.

Havniæ d. 1. Maji a. 1776.

(130) Vir Excellentissime
atque longe celeberrime!

Studia Medica & Physica jam per aliquot annos apud nos coluit filius meus dilectissimus Petrus Horrebow, quem jam ad exteros, ut ulterius, imprimis in historia naturali, proficiat, mittere constitui: adit primo loco Musas Upsalienses, ut sub Tuo, Viri in isto scientiarum genere maximi, ductu penetralia naturæ invisat, atque id præterea ambitioni juvenis dandum fuit, ut olim, si longiorem vitam ipsi concesserint Parcæ, gloriari queat, se ex limpidis Linnæanis fontibus hausisse, ac tantum virum coram vidisse.

¹⁾ Om Bestemmelse af endeel Planter.